

nibus. Sic nunc esse Judæos ambigit nemo. Sed quod ait apostolus Paulus, Gentibus loquens, *Sicut enim vos aliquandò non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate; sic et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur* (Rom. xi, 30 et 31); hoc propheta iste tanto ante prædicens, secutus adjunxit, *Et postea revertentur filii Israel, et inquirent Dominum Deum suum et David regem suum, et stupeficient in Domino et in bonis ipsius in novissimis diebus.* (Osee iii, 4, 5). Ecce et hic per David nomen prophetatus est Christus; quoniam quando ista prophetabantur, ille David rex Israel jam olim ante dormierat: Dominus autem Jesus ex ejus semine fuerat in carne venturus; propter quod prophetico loquendi modo appellabatur David. Videtur autem apostolus Paulus hoc testimonium ita posuisse in Actibus Apostolorum, ut non nisi de illo rege David qui Saûli successit possit intelligi. Nam inter cætera, *Et exinde, inquit, postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saûl filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. Et amoto illo suscitavit illis David regem, cui et testimonium perhibens dixit, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes vo-*

luntates meas. Sed quoniam secutus adjungit et dicit, *Hujus Deus ex semine, secundum promissionem, adduxit Israel Salvatorem Jesum* (Act. xiii, 24-25); altius significavit in Domino Jesu potius esse intelligendum illud testimonium, qui vere fecit omnes voluntates Dei Patris, quam in illo rege David: qui licet secundum superiorem disputationem, remissis peccatis et non imputatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam, non immerito dici possit inventus secundum cor Dei; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? Qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora et facta Scriptura narravit, notatus est tamen quod non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonii sibi sacrificari jusserrat; quamvis et in eisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipsius David semine propagatus rex Ezechias, cum testimonio magnæ suæ laudis evertit (IV Reg. xviii, 4).

4. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus si nos feceris nosse. Ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere quam docere.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.



Augustino restituendum curavimus opusculum subsequens, quod quidem a Lovaniensibus Theologis abjudicatum ipsi, et amandatum in Appendicem fuerat, præfixa illa, quam ab Erasmo mutuati sunt, censura: *Libellus hic ex diversis Augustini epistolis consarcinatus est, maxime quod ad sententias attinet.* Addebat Erasmus, probabile videri opus esse Hugonis Victorini: quam ejus conjecturam refellit vel sola ejusdem libri scripturâ in Gemmeticensi codice ante Hugonis ætatem exarata, et gerens in fronte nomen Augustini. Res etiam ac phrasis non Hugonem refert, sed prorsus Augustinum; qui postremo, quod Erasmus fugiebat, in Epistola 231, ad Darium comitem, post Frobenianam editionem reperta, et in Plantiniana Lovaniensium primum vulgata, suum esse Librum contestatur his verbis, n. 4: *Misi et alios libros, quos non petisti, ne hoc tantummodo facerem quod petisti, de Fide rerum quæ non videntur, de Patientia, de Continentia, de Providentia, et unum grandem de Fide et Spe et Charitate.* Is haud dubie locus præteriit etiam Bellarminum, qui Lovanienses secutus, hunc librum spurii accensendum eo lubentius volebat, quod notatus non invenitur in Retractationibus: libros tamen ipse nunc laudatos, de Patientia et de Continentia, quamvis nulla ibidem facta sit de illis mentio, pro genuinis habens, quia a Possidio et a Bedâ vulgato citantur. Hæc nimirum opuscula ex iis sunt Tractatibus popularibus, qui Augustino, sicuti ad Quodvultdeum in epistola 224, n. 2, scribit, post absoluta jam duo de librorum suorum recensione volumina, retractandi cum Epistolis restabant. Nobiscum vero consentit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano; et titulum qui in editis præfixus erat, de Fide rerum invisibilium, emendandum haud immerito censet; quando de fide hic agitur, non earum tantummodo rerum quæ corporeis oculis attingere nunquam licet, sed quarundam etiam quæ iis si præsentibus exhiberentur, videri possent. Opusculum post annum 599, quo leges ab Honorio contra idola datæ sunt, collocandum esse ex iis quæ n. 40 de idolorum subversione leguntur, nemo non agnoscat.

